

De sanctificatione septime diei

Quoniam summato igitur mundo: per fabricam diuine solercie sex dierum. Creati etiam dispositi et ornati tandem perfecti sunt celi et terra. Compleuit deus gloriosus opus suum: et requieuit die septimo ab operibus manuum suarum: postquam circum mundum: et omnia que in eo sunt creasset: non quasi operando lassus: sed nouam creaturam facere cessauit: cuius materia vel similitudo non precesserat. Opus enim propagationis operari non desinit. Et dominus eidem diei benedixit: et sanctificauit illum: vocauitque ipsum Sabatum quod nomen hebraica lingua requiem significat. Eo quod in ipso cessauerat ab omni opere quod pararat. Unde et Iudei eo die a laboribus propriis vacare dignoscuntur. Quem et ante leges certe gentes celebrem obseruarunt. Jamque ad calcem ventum est operum diuinorum. Illum ergo timeamus: amemus: et veneremur. In quo sunt omnia siue visibilia siue inuisibilia. Et a domino celi: domino bonorum omnium. Cui data omnis potestas in celo et in terra. Et presentia bona: quatenus bona sint. Et veram eterne vite felicitatem queramus.

